

Kreis Paderborn

S. 141

[1126—1139] (?)

[9]

Herzog Heinrich der Stolze (?) von Sachsen verpfändet der Paderborner Kirche ein Gut.

Noverit omnium fidelium tam praesentium quam futurorum universitas. qualiter ego Henricus, dux Saxoniae, pro beneficio, quod a Patherburnensi ecclesia obtinendum expetii, praedium meum in Aersche pro centum quadraginta octo marcis examinati argenti in pignore posui hac videlicet conditione, ut cum omnibus suis appendiciis, id est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, agris, pratis, pascuis terris cultis et incultis, aquarum et silvarum usibus et cum omni utilitate, quae inde proveniret, donec praedictae summae pecunia solveretur, usibus praefatae ecclesiae deserviret. Et si ego hac pecunia nondum soluta peracto huius vitae curriculo non superessem, nemo haeredum meorum in praedio illo quicquam sibi vendicaret, nisi prius ecclesiae summam illius pecuniae ex integro restituisset. Huic actioni et providae dispensationi cum aliis multis fidelibus hi duodecim: Otto comes, Adolf de Schowenburg, Volquin, Widekint, Herman de Lippia, Wilbrant, Bernhart vicedominus, Luidolf, Anno, Luppolt, Hereman de Brakel, Cunrat, viri nominati et fideles, interfuerunt, et quod de suo pactam pecuniam solverent, si in hoc praedio aliquid violentiae, a quoquam paterentur, datis dextris confirmaverunt. Ut autem sollicito et prudenter provideretur, ne quis hoc factum aliqua occasione

in posterum irritum facere machinaretur, praesens pagina est subscripta et sigilli nostri impressione est signata. Testes huius rei sunt Everhardus praepositus, Alemarus decanus, Theitmar, Lanfrit, Erbraht, Reinbraht cum tota ecclesia. Liberi cum his qui supra nominati sunt Luidolf, Sivehart, Thietmar, Gerlach; ministeriales Cunrat, Helmwiek, Herman, Hartman, Andreas, Amelunc et alii.

III, 85^vsq. Ms Nr. IX: De Aersch überschrrieben. — Rescripta privilegiorum Paderburnensis ecclesiae ex libro Ms. in membrana vetusta, qui dicitur: Exemplum privilegiorum et donationum ecclesiae Paderbornensis. Anno 1660 mense Septembri descriptum — Paderbornae (von Joh. Grothues). — Die Mehrzahl der Zeugen verweist die Urk. eher in die Zeit Heinrichs des Stolzen als in die Heinrichs des Löwen.